



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tripartita Demonstratio, Worin Augenscheinlich wird
vorgestellt/ Daß Die Stadt Hildesheim von Jhrem Anfang
biß hiehin den Herren Bischöffen Als jhren
Landts-Fürsten/ Gleich anderen Municipal-Städten ...**

Hildesheim, A[nn]o 1691.

Num. 1. Bulla Pontificia super Confirmatione Apostolicâ Reverendissimi
Celsissimi Principis ac Domini, D. Jodoci Edmundi Episcopi Hildesiensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38409



Weylagen.

Num. I.

Bulla Pontificia super Confirmatione Apostolicâ Reverendissimi Celsissimi Principis ac Domini,

D. JODOCI EDMUNDI

Episcopi Hildesienfis.

H. VI
28

INNOCENTIUS Episcopus, Servus Servorum DEI, Dilecto Filio JODOCO EDMUNDO à BRABECK Electro Hildesimensi Salutem & Apostolicam Benedictionem. Apostolatus officium meritis licet imparibus Nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini Divinâ dispositione præsidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino cupientes solliciti corde reddimur, & solertes, ut cum de Ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores præficere studeamus, qui populum suæ curæ creditum sciant non solum doctrinâ verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasq; sibi Ecclesias in statu pacifico, & tranquillo velint & valeant Auctore Domino salubriter regere, & fœliciter gubernare: Sanè Ecclesia Hildesimensis, cui bonæ memoriæ MAXIMILIANUS HENRICUS ex Ducibus Baviaræ Episcopus Hildesimensis, dum viveret, præsidebat, per obitum dicti MAXIMILIANI HENRICI Episcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ persolvit, Pastoris solatio destituta, cum dilecti Filii Capitulum & Canonici dictæ Ecclesiæ, ad quos juxta concordata dudum inter Sedem Apostolicam, & inclytam Nationem Germanicam inita Electio Personæ idoneæ per Romanum Pontificem pro tempore existentem eidem Ecclesiæ, dum pro tempore vacat, in Episcopum præficiendæ, spectare & pertinere dignoscitur, pro hujusmodi Electione celebrandâ vocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt & debuerunt Electioni hujusmodi interesse, die ad eligendum præfixâ, ut moris est convenientes in unum, Te Decanum & Canonicum dictæ Ecclesiæ, necnon Ecclesiæ Monasteriensis Canonicum de legitimo Matrimonio, ex

G g

Catholicis

Catholicis Nobilibusq; Parentibus in Arce Hemmeren Colonienſis Dieceſis procreatum, ſexagenario majorem, à pluribus Annis in Presbyteratûs Ordine conſtitutum, & in functionibus Eccleſiaſticis optimè verſatum, Virum gravem, prudentem, rerum agendarum uſu & experienciâ plurimùm commendatum, omniaque alia requiſita habentem, in eorum, & dictæ Eccleſiæ Hildeſimienſis Episcopum elegiſſent, Tuq; Electioni hujusmodi illiusque Tibi præſentato Decreto conſenſiſſes, & deinde Electionis hujusmodi negotium in congregatione rebus Conſiſtorialibus præpoſitâ, ad quam Nos hoc diſcutiendum remiſeramus, proponi feciſſes, petens illam Apoſtolicâ Authoritate confirmari, ac ipſa Congregatio illâ Canonice celebratam reperiſſet, Nos ſperantes, quòd Tu, qui Fidem Catholicâ juxta Articulos, jam pridem à Sede Apoſtolicâ propoſitos expreſſè profeſſus es, & de cujus Nobilitate generis, vitæ munditiâ, honeſtate morû, ſpiritualiû providentiâ & temporalium circumſpectione, aliisq; multiplicum virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, eidem Eccleſiæ Hildeſimenſi eſſe poteris plurimùm utilis, ac etiam fructuoſus, Electionem eandem juxta Decretum in prætaçtâ Congregatione factum de venerabiliſſimum Fratrum Noſtrorum conſilio Apoſtolicâ Auctoritate confirmantes, & approbantes, eidem Eccleſiæ Hildeſimenſi, de Perſonâ Tuâ Nobis, & eiſdem Fratribus ob Tuorum exigentiam meritorum acceptâ de eorundem fratrum conſilio dictâ Apoſtolicâ Authoritate providemus, Teq; illi in Episcopum præficiamus, & Pastorem, *Curam, & Adminiſtrationem dictæ Eccleſiæ Hildeſimienſis Tibi in ſpiritualibus & Temporalibus plenariè committendo*, in illo, qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quòd dirigente Domino actus Tuos prædictæ Eccleſiæ Hildeſienſis ſub tuo ſælici regimine regetur utiliter, & proſperè dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & Temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris promptâ devotione ſuſcipiens, Curam & Adminiſtrationem prætaçtas ſic exercere ſtudeas ſollicitè, fideliter & prudenter, quòd Eccleſia ipſa Hildeſimienſis Gubernatori provido & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, Tuque præter æternæ retributionis præmium Noſtram & dictæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis, Nos enim Tecum, ut etiamſi Doctoratûs gradu inſignitus non ſis, nihilominus eidem Eccleſiæ Hildeſimenſi præfici, illiq; præeſſe liberè & licitè poſſis & valeas, Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, dictæq; Eccleſiæ Hildeſimienſis, etiam Juramento, Confirmatione, Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſq; contrariis nequaquam obſtantibus, Auctoritate prædictâ earundem tenore præſentium motu proprio diſpenſamus. Volumus autem, quòd Tu Sacrarium ſacrâ ſuppelleçtile ſufficienter inſtruas, Eccleſiæ Cathedralis Hildeſimienſis reparationi, ac Domûs Episcopalis conſtructioni pro viribus incumbas, necnon Theologalem & pœnitentiariam Præbendas in dictâ Eccleſiâ Hildeſimenſi, ac Seminarium ad præſcriptum Concilii Tridentini inſtituas, montemque pietatis erigi cures, conſcientiam Tuam deſuper onerando. Perſolas verò confirmationem, approbationem, provisionem & præfectionem hujusmodi Decanatus ac Canonicatus, & præbenda, quos in dictâ Eccleſiâ Hildeſimenſi ad præſens obtines, vacent, eo ipſo, ita ut de illis per Sedem prædictam tantùm diſponi poſſit, decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis Auctoritate ſcianter vel ignoranter

ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Sexcentesimo, Octuagesimo, Octavo, tertio Calend. Decembris, Pontificatûs Nostri, Anno Tertio decimo. J. A. Sernicoli loco † plumbi.

Alia similis ad Populum Civitatis & Diœcesis Hildesimensis.

INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum DEI dilectis Filiis *Populo Civitatis & Diœcesis Hildesimensis* Salutē & Apostolicam Benedictionem: Hodie Electionem de Personâ dilecti Filii JODOCI EDMUNDI Electi Hildesimensis per dilectos Filios Capitulum & Canonicos Ecclesiæ Hildesimensis, Ecclesiâ ipsâ tunc per obitum bonæ memoriæ MAXIMILIANI HENRICI ultimi illius Episcopi, extra Romanam Curiam defuncti Pastoris solatio destitutâ, Canonicè celebratam, de Fratrum Nostrorum consilio Apostolicâ Auctoritate approbavimus & confirmavimus, ipsiq; Ecclesiæ de Personâ dicti JODOCI EDMUNDI Electi Nobis & Fratribus Nostris ob suorum exigentiam meritorum acceptâ de simili consilio dictâ Authoritate providimus, ipsumque illi in Episcopum præfecimus & Pastorem, *Curam & Administrationem Ipsius Ecclesiæ Hildesimensis sibi in Spiritualibus & Temporalibus plenarè committendo*, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur: Quocirca universitatem vestram monemus & hortamur attentè, vobis per Apostolica scripta mandantes, quatenus eundem JODOCUM EDMUNDUM Electum tanquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum devorè suscipientes, & debitâ honorificentia pertractantes, ejus monitis & Mandatis Salubribus humiliter intendatis; ita, quod idem JODOCUS EDMUNDUS Electus in vobis devotionis filios, & vos in eo per consequens Patrem benevolum invenisse gaudeatis. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Sexcentesimo, Octuagesimo Octavo, tertio Calend. Decembris, Pontificatus nostri Anno tertio decimo. J. A. Sernicoli loco † plumbi.

H. VI
28

Num. 2.

**Kürstlicher Hildesheimischer Cankley Protocoll,
de Dato Mercurii den 3. Julii 1689.**

P R A E S E N T E S

Herr von Schnetlage /	☞ Herr Hoff. Rath Nicolars /
Herr von Schorlemmer /	☞ Herr Hoff. Rath Berning /
Herr von Hörde /	☞ Herr Hoff. Rath Dücker /
Herr Canklar Zimmerman /	☞ Herr Hoff. Rath Lossius,
Herr Vice-Canklar Schilling /	☞ Secretarius Brandis.

Accefferunt Deputati Magistratus der Alten Stadt Hildesheim /
Syndic. D. Spörer / Johann Falckenberg / und Carl Fricke /
Raths-Verwandte.

Nachde-